

in art., in quo propositio illa: *Omnis sanctificatio, quæ fit per sacerdotium Christi, est perpetua, re consecrata manente*, intelligenda est non de quacumque sanctificatione, quæ a sacerdotio Christi manat; nam hoc modo etiam sanctificatio, quæ fit per gratiam, fit per sacerdotium Christi, nam Christus ut Summus Sacerdos remittit peccata et dat gratiam; et tamen non est perpetua, re sanctificata manente; intelligenda ergo est formaliter de sanctificatione per sacerdotium, id est, quæ fit per quandam participationem activam vel passivam sacerdotii Christi, quæ fit per consignationem quandam, seu deputationem ad ea quæ pertinent ad cultum Dei; et hoc modo est facilis propositio, et optime explicatur exemplo consecrationis rei inanimatæ, quo D. Thomas utitur. Atque in hunc modum explicata ratio directe concludit de tempore, in quo homo durat et vivit, quia simpliciter loquendo homo est qui consecratur per characterem, sicut homo baptizatur et ordinatur. Extendi autem potest, ut D. Thomas etiam significat, ad perpetuam animæ durationem, quia, licet homo sit qui consecratur, tamen consecrationem, seu formam, qua formaliter consecratur, in anima recipit, quæ perpetuo durat.

4. *Character suapte natura incorruptibilis est. — Quare per peccatum non deleatur character. — Vere suscipiens sacramentum, quamvis nolit effectum recipere, characterem recipiet. — Quartus sensus, qui simul continet secundam explicationem, seu rationem veritatis fidei est, characterem semel datum semper conservari a Deo, quia natura sua est qualitas incorruptibilis. Et hic sensus, quamvis non sit de fide, est tamen valde consentaneus principiis fidei et aptior ad rem fidei explicandam. Deus enim non destruit rem de se perpetuam ad solam suspensionem sui influxus vel conservationis, nisi quando naturales causæ, vel morales id postulant, ut patet in omnibus aliis divinis effectibus; hac enim ratione Deus nunquam annihilat res quas condidit; corrumpit vero illas, quæ aliquo modo corruptibiles sunt, quando causæ secundæ id postulant; nam alioqui dona Dei sunt sine penitentia. Dupliciter autem contingit formam aliquam, seu qualitatem esse incorruptibilem. Primo physice ac proprie, et hoc modo character non est corruptibilis, quia est qualitas spiritualis, et caret contrario, et est in subjecto incorruptibili, et a nulla causa creata effective pendet, sed a solo*

Deo. Secundo modo potest esse qualitas corruptibilis moraliter, demeritorie, ac dispositive, quomodo amittitur charitas et gratia per peccatum mortale, et fides per hæresim; et hoc modo non est etiam corruptibilis character; cujus signum a posteriori evidens est, quia nullum peccatum, etiam desperationis vel hæresis, impedit infusionem characteris, dummodo sacramentum perficiatur quoad substantiam ipsius, sicut perfici potest, non obstante quocumque peccato recipientis. Ex quo effectu sumitur ratio a priori, scilicet, quia nulla est dispositio in homine contraria characteri, et quasi formaliter illi repugnans. Aut enim hæc dispositio est habitualis; et hoc non, quia neque in essentia animæ, ubi est character, potest fingi habitus aliquis positivus contrarius characteri; nec in potentiis, quarum habitus, si vitiosi sint, opponuntur aliis habitibus, non vero signo vel potestati alterius rationis, quæ ex voluntate vel malitia non pendeat. Aut illa dispositio esset actus aliquis; et hoc etiam dici non potest, quia actus non est dispositio repugnans habitui, vel qualitati permanenti per modum habitus, nisi immediate opponatur alteri actui, qui sit proprie operatio, vel dispositio ad talem habitum; character vero neque habet aliquem actum proprium intellectus aut voluntatis, ut supra ostensum est, nec per se requirit ullam dispositionem, ut infundatur. Dicit aliquis, solam rationem demeriti sufficere, ut character sit moraliter corruptibilis, scilicet demeritorie; meretur enim peccator privari omnibus spiritualibus bonis. Vel certe dici potest, sicut ad recipiendum characterem requiritur in adultis voluntas et intentio recipiendi sacramentum, ita voluntatem contrariam esse dispositionem characteri repugnantem, atque adeo per illam amitti, ut si aliquem poeniteat suscepisse baptismum. Respondetur, si merita peccati mortalis absolute considerentur, justissime potuisse Deum privare peccatorem quolibet spirituali beneficio propter tale peccatum; nam etiam posset ea de causa juste in nihilum illum redigere. Tamen secundum legem ordinariam et convenientem, sicut non privat illum fide et spe, quando non committit peccata directe his virtutibus repugnantia, ita multo minus privat illum characterem, propter solum peccati demeritum. Quia non punit peccatum, quantum potest, sed quantum expedit juxta ordinem divinæ sapientiæ. De actu vero illo, quo potest peccator retractare prio-

rem voluntatem suscipiendi sacramentum, respondetur, non esse illam dispositionem contrariam characteri; sicut postquam aliquis voluntarie se servum constituit, et signum servitutis voluntarie suscipit, etiamsi eum postea poeniteat, actio est inefficax, et non est dispositio sufficiens ad expellendum signum servitutis. Eo vel maxime, quod ad suscipiendum characterem proprie ac formaliter non est necessaria voluntas suscipiendi illum, sed sufficit voluntas recipiendi sacramentum. Unde si quis ex ignorantia vel malitia vellet suscipere sacramentum, et simul nollet recipere aliquem effectum ejus, etiam characterem, nihilominus illum reciperet, quia reciperet verum sacramentum; sacramentum autem non potest privari hoc effectu, quia ad illum nullam dispositionem voluntatis requirit; et consequenter nec potest illi poni obex, si maneat substantia ac veritas sacramenti, quod propter hanc causam nunquam est iterabile.

5. *Character baptismi et confirmationis neque augeri, neque remitti potest. — Character Ordinis an indivisibilis. — Ultimo potest hic moveri alia quæstio similis præcedenti, et illi annexa, an character sit qualitas indivisibilis, id est, quæ ex natura sua intendi, et remitti non possit. Ad quod dicendum est. Primo, characterem baptismi nunquam augeri vel remitti in eodem, vel diversis subjectis, neque in uno intensiorem fieri, quam in alio. Probatur, quia nec intendi potest propter iterationem sacramenti, cum iterabile non sit; neque a principio dari potest intensior propter dispositionem subjecti, quia character per se nullam requirit, neque ab illa pendet, et alioqui sacramentum de se æqualem effectum confert, si ex dispositione subjecti non varietur. Præterea potest reddi congruentia, quia cum character per se primo detur ut signum, oportuit illud esse omnino certum et indivisibile, atque adeo omnino idem seu simile in omnibus, qui illo insigniuntur, præsertim cum ex parte ipsius characteris omnibus detur æqualis potestas ad ea quæ pertinent ad divinum cultum. Atque hinc fit verisimile, qualitatem characteris ex natura sua esse incapacem intensioris et remissionis, quia non repugnat fieri qualitatem hujus naturæ, et congruum est, ut Deus contulerit eam qualitatem maxime accommodatam secundum naturam suam ad effectum seu finem in quem ordinatur. Secundo dicitur, characterem confirmationis*

similiter esse qualitatem indivisibilem propter easdem omnino rationes. Tertio idem dicendum est de characterem uniuscujusque Ordinis, si secundum se consideretur, et comparatur cum alio characterem ejusdem Ordinis; non enim recipit majorem potestatem consecrandi unus sacerdos, quam alius, et sic de cæteris Ordinibus; non est ergo intensior character sacerdotalis in uno sacerdote, quam in alio. Comparando vero characterem inferioris Ordinis ad characterem superioris Ordinis, dubitari potest, an sint distinctæ qualitates indivisibiles, an vero sit una et eadem, quæ paulatim augetur per diversos Ordines, vel per modum intensionis, vel per modum extensionis, sicut solet (ut aiunt) augeri habitus scientiæ; hæc vero quæstio non est hoc loco tractanda, sed cum dicetur de Ordinis sacramento.

ARTICULUS VI.

Utrum per omnia sacramenta novæ legis imprimatur character (inf., quæst. 72, art. 5. Et 4, dist. 4, q. 1, art. 4, quæst. 2 et 3, et quæst. 3, art. 2, quæst. 3, et d. 7, quæst. 2, art. 4, quæst. 1, et quæst. 3, art. 3, quæst. 3, et d. 23, quæst. 1, art. 2, quæst. 3.)

1. *Ad sextum sic proceditur. Videtur, quod per omnia sacramenta novæ legis imprimatur character; per omnia enim sacramenta novæ legis fit aliquis particeps sacerdotii Christi. Sed character sacramentalis nihil est aliud quam participatio sacerdotii Christi, ut dictum est (art. 3 et 5 hujus q.). Ergo videtur, quod per omnia sacramenta novæ legis imprimatur character.*

2. *Præterea, character se habet ad animam in qua est, sicut consecratio ad res consecratas. Sed per quodlibet sacramentum novæ legis homo recipit gratiam sanctificantem, ut supra dictum est (q. præc., art. 1). Ergo videtur, quod per quodlibet sacramentum novæ legis imprimatur character.*

3. *Præterea, character est res et sacramentum. In quolibet autem sacramento novæ legis est aliquid, quod est res tantum, et aliquid quod est sacramentum tantum, et aliquid quod est res et sacramentum. Ergo per quodlibet sacramentum novæ legis imprimatur character.*

Sed contra est, quod sacramenta, in quibus imprimatur character, non reiterantur, eo quod character est indelebilis, ut dictum est (art. 5). Quædam autem sacramenta iterantur, sicut patet de penitentia et matrimonio.

Ergo non omnia sacramenta imprimunt characterem.

Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est (q. 62, art. 4 et 5), sacramenta novæ legis ad duo ordinantur, scilicet in remedium peccati, et ad cultum divinum. Est autem omnibus sacramentis commune, quod per ea exhibetur aliquod remedium contra peccatum, per hoc quod gratiam conferunt. Non autem omnia sacramenta ordinantur directe ad divinum cultum, sicut patet de penitentia, per quam homo liberatur a peccato; non autem per hoc sacramentum exhibetur homini aliquid de novo pertinens ad divinum cultum, sed restituitur in statum pristinum. Pertinet autem aliquod sacramentum ad divinum cultum tripliciter: uno modo per modum ipsius actionis, alio modo per modum agentis, tertio modo per modum recipientis. Per modum quidem ipsius actionis pertinet ad divinum cultum Eucharistia, in qua principaliter divinus cultus consistit, in quantum est Ecclesiæ sacrificium. Et per hoc idem sacramentum non imprimitur homini character, quia per hoc sacramentum non ordinatur homo ad aliquid aliud ulterius agendum, vel recipiendum in sacramentis, cum potius sit finis, et consummatio omnium sacramentorum, ut Dionysius dicit (cap. 3 Eccles. hier., circ. princ. illius). Continet tamen in seipso Christum, in quo non est character, sed tota sacerdotii plenitudo.

Sed ad agens in sacramentis, pertinet sacramentum Ordinis, quia per hoc sacramentum deputantur homines ad sacramenta aliis tradenda. Sed ad recipientes pertinet sacramentum baptismi, quia per ipsum homo accipit potestatem recipiendi alia Ecclesiæ sacramenta. Unde baptismus dicitur esse janua omnium sacramentorum. Ad idem etiam ordinatur quodammodo confirmatio, ut infra suo loco dicitur (quæst. 72, art. 5). Et ideo per hæc tria sacramenta character imprimitur, scilicet per baptismum, confirmationem, et Ordinem.

Ad 1 ergo dicendum, quod per omnia sacramenta fit homo particeps sacerdotii Christi, utpote percipiens aliquem effectum ejus. Non tamen per omnia sacramenta aliquis deputatur ad agendum aliquid vel recipiendum, quod pertineat ad cultum sacerdotii Christi. Quod quidem excigitur ad hoc quod sacramentum characterem imprimat.

Ad 2, dicendum, quod per omnia sacramenta sanctificatur homo, secundum quod sanctitas importat munditiam a peccato, quæ

fit per gratiam. Sed specialiter per quædam sacramenta, quæ characterem imprimunt, homo sanctificatur quadam consecratione, utpote deputatus ad divinum cultum. Sicut etiam res inanimata sanctificari dicuntur, in quantum divino cultui deputantur.

Ad 3, dicendum, quod licet character sit res et sacramentum, non tamen oportet, omnem id quod est res et sacramentum, esse characterem. Quid autem sit res et sacramentum, in aliis sacramentis infra dicitur.

Hic articulus explicatus a nobis est sect. 4, præced. disput., quoniam ad explicandam characteris naturam, necessarium fuit, omnes modos et fines characteris explicare, unde hic nihil addendum occurrit.

QUESTIO LXIV.

DE CAUSA SACRAMENTORUM, IN DECEM ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de causis sacramentorum, sive per auctoritatem, sive per ministerium.

Et circa hoc quærentur decem:

1. Utrum solus Deus interius operetur in sacramentis.
2. Utrum institutio sacramentorum sit solum a Deo.
3. De potestate, quam Christus habuit in sacramentis.
4. Utrum illam potestatem potuerit aliis communicare.
5. Utrum potestas ministerii in sacramentis conveniat malis.
6. Utrum mali peccent dispensando sacramenta.
7. Utrum Angeli possint esse ministri sacramentorum.
8. Utrum intentio ministri requiratur in sacramentis.
9. Utrum requiratur ibi recta fides, ita scilicet, quod infidelis non possit tradere sacramenta.
10. Utrum requiratur ibi recta intentio.

ARTICULUS I.

Utrum solus Deus operetur interius ad effectum sacramenti (infra, art. 5; et 4, dist. 5, quæst. 2, art. 2, quæst. 2).

1. Ad primum sic proceditur. Videtur, quod non solus Deus, sed etiam minister interius

operetur ad effectum sacramenti. Interior enim sacramenti effectus est, ut homo purgetur a peccatis, et illuminetur per gratiam. Sed ad ministros Ecclesiæ pertinet purgare, illuminare et perficere, ut patet per Dionys. in c. 5 Eccles. hierar. (1 part., per totam). Ergo videtur, quod non solus Deus, sed etiam ministri Ecclesiæ interius operentur ad sacramenti effectum.

2. Præterea, in collatione sacramentorum quædam orationum suffragia proponuntur. Sed orationes justorum sunt magis apud Deum exaudibiles, quam quorumcumque, secundum illud Joan. 9: Si quis Dei cultor est et voluntatem ejus facit, hunc Deus exaudit. Ergo videtur, quod majorem effectum sacramenti consequatur ille, qui recipit ipsum a bono ministro. Sic ergo et minister aliquid operatur ad interiorem effectum, et non solus Deus.

3. Præterea, dignior est homo, quam res inanimata. Sed res inanimata aliquid operatur ad interiorem effectum; nam aqua corpus tangit et cor abluit, ut Augustinus dicit super Joan. (tract. 80, tom. 9). Ergo homo aliquid operatur ad interiorem effectum sacramenti, et non solus Deus.

Sed contra est, quod dicitur Roman. 8: Deus est qui justificat. Cum ergo interior effectus omnium sacramentorum sit justificatio, videtur quod solus Deus operetur interiorem effectum sacramenti.

Respondeo dicendum, quod operari aliquem effectum, contingit dupliciter, uno modo per modum principalis agentis, alio modo per modum instrumenti. Primo igitur modo solus Deus operatur interiorem effectum sacramenti, tum quia solus Deus illabitur animæ, in qua sacramenti effectus existit, non autem potest aliquid immediate operari, ubi non est. Tum quia gratia, quæ est interior sacramenti effectus, est a solo Deo, ut in secunda parte dictum est (1. 2, quæst. 112, art. 1). Character etiam, qui est interior quorundam sacramentorum effectus, est virtus instrumentalis, qui manat a principali agente, quod est Deus. Secundo autem modo homo potest operari ad interiorem effectum sacramenti, in quantum operatur per modum ministri; nam eadem ratio est ministri et instrumenti; utriusque enim actio exterior adhibetur, sed sortitur effectum interiorem ex virtute principalis agentis, quod est Deus.

Ad 1 ergo dicendum, quod purgatio, secundum quod attribuitur ministris Ecclesiæ, non est a peccato. Sed dicuntur diaconi purgare,

in quantum vel immundos ejiciunt a cætu fidelium, vel eos sacris admonitionibus disponunt ad sacramentorum receptionem. Similiter etiam sacerdotes illuminare dicuntur sacrum populum, non quidem gratiam infundendo, sed sacramenta gratiæ tradendo, ut patet per Dionys. ibi (loco cit. in arg. 1).

Ad 2, dicendum, quod orationes, quæ dicuntur in sacramentorum collatione, proponuntur Deo, non ex parte singularis personæ, sed ex parte totius Ecclesiæ, cujus preces sunt apud Deum exaudibiles, secundum illud Matth. 18: Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo. Nihil tamen prohibet, quin devotio viri justi ad hoc aliquid operetur. Illud tamen quod est sacramenti effectus, non impetratur oratione Ecclesiæ vel ministri, sed ex merito passionis Christi, cujus virtus operatur in sacramentis, ut dictum est (quæst. 62, art. 5). Unde effectus sacramenti non datur melior per meliorem ministrum. Aliquid tamen annexum impetrari potest recipienti sacramentum, per devotionem ministri. Nec tamen minister illud operatur, sed impetrat operandum a Deo.

Ad 3, dicendum, quod res inanimata non operantur aliquid ad interiorem effectum, nisi instrumentaliter, ut dictum est (in cor. art.). Et similiter homines non operantur ad sacramentorum interiorem effectum, nisi per modum ministerii, ut dictum est (ibid.).

COMMENTARIUS.

1. Circa titulum hujus articuli advertendum occurrit quæstionem in illo propositam non tam pertinere ad causas sacramentorum, de quibus titulus totius quæstionis erat propositus, quam ad explicandam principalem causam gratiæ, quæ est sacramentorum effectus, atque ita responsio D. Thomæ in art. huic sensui respondet; dicit enim, solum Deum efficere gratiam vel characterem, qui sunt effectus sacramentorum, ut causam principalem; hominem vero posse concurrere, ut ministrum, quia eadem est ratio ministri et instrumenti. Quæ res satis est a nobis in superioribus agitata. Nam quod sacramenta sint causæ instrumentales gratiæ, in quæst. 62 ostensum est; quod vero solus Deus sit causa principalis, ibidem tactum est, latius vero in materia de gratia traditur.

2. Ministri medio sacramento efficiunt effectum sacramenti. — Quæri vero hoc loco potest, an minister sit etiam inter causas gratiæ com-

putandus, et quemnam influxum in eum effectum habeat. Quæ res ex his, quæ de characterè diximus, facile potest etiam expediri. Primo enim simpliciter asserendum est sacramentorum ministros habere potestatem ministerialem ad remittenda peccata et conferendam gratiam, atque illam conferre per sacramenta. Ita colligitur aperte ex Conciliis Florentino, in Decreto Eugenii, et Trident., sess. 7, 13 et 14; et patet ex veritate illorum verborum: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remisistis peccata, remittuntur eis*, Joan., cap. 20. Ex quibus sumpta est illa forma: *Ego te absolvo*. Quæ non esset vera, si minister non efficeret effectum sacramenti, ut significat Trident., d. sess. 14, cap. 4 et 6, et can. 3; ergo. Confirmatur, nam minister per verba consecrationis dicitur efficere Eucharistiam, seu conversionem panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi. Ita enim loquuntur Concilium Florentinum et Tridentinum supra; ergo eadem ratione per alias formas sacramentorum dicitur efficere gratiam. Nam, sicut in Eucharistia effectus formæ est consecratio materiæ, ita in aliis est sanctificatio personæ, cui confertur sacramentum. Ratio denique est, quia sacramentum omne (Eucharistia excepta) consistit in ipso usu, qui includit actionem ministri; ergo illamet actio est instrumentum, per quod Deus gratiam confert. Atque hac ratione in Eucharistiæ sumptione non dicitur minister conferre gratiam, nisi valde remote, quatenus applicat sacramentum jam factum, quod est causa gratiæ, quæ applicatio neque est actio propria sacramentalis, nec pars sacramenti. At vero in cæteris sacramentis, quia ipsamet actio ministri est quodammodo instrumentalis effectio gratiæ sacramentalis, quia per illam actionem tanquam per instrumentum fit gratia, ideo minister efficiendo illam actionem dicitur efficere effectum sacramenti.

3. Secundo vero addendum est, ministrum non habere circa effectum sacramenti actionem aliquam vel influxum distinctum ab actione vel influxu ipsorum sacramentorum, neque aliter illum conferre, quam dando et efficiendo sacramenta, per quæ ille confertur. Ita colligitur ex communi doctrina Conciliorum et Theologorum, qui hoc sensu docent hanc potestatem ministrorum esse alligatam sacramentis, neque aliter quam per illa posse operari. Unde Augustinus, lib. 4 de Baptismo, cap. 22, inquit, *sacramentum ministrorum opere corporaliter adhiberi, sed per illud*

Deum hominis consecrationem spiritualiter operari; et lib. 3 contra litter. Petilian., cap. 54, de ministro sacramenti sic loquitur: Ad ministrandum et dispensandum verbum ac sacramentum, aliquid est; ad mundandum vero ac justificandum non est aliquid, quia hoc non operatur in interiori homine, nisi per quem creatus est totus homo. In quibus ultimis verbis videtur Augustinus omnem prorsus effectum gratiæ ministro negare; sed exponendus est de effectione propria et principali, quam minister non habet, neque aliam, præter ministerium dandi sacramentum, quod est instrumentum Dei ad efficiendam gratiam. Ratio præterea colligi potest ex his, quæ supra dicta sunt de characterè. Ubi ostendimus, illum non habere proprium ac physicum influxum in sacramentum vel effectum sacramenti. Hinc enim necessario sequitur, ministrum ipsum nullam aliam physicam actionem habere immediate, præter verborum prolationem, abluitionem, unctionem vel aliam physicam actionem, per quam sacramentum confert immediate, et per illud efficit gratiam.

4. *Verus minister circa effectum sacramenti idem omnino efficit, sive consecratus, sive non consecratus sit.* — *Non magis concurrunt ad gratiam sacerdos dispensans Eucharistiam, quam laicus.* — Ex quo intelligimus, non majorem efficientiam physicam habere circa effectum sacramenti, ministrum consecratum, quam non consecratum, dummodo uterque verum sacramentum conficere valeat, ut contingit, v. gr., in baptismo dato a laico vel a sacerdote. Ita docuit Soto, 4, d. 1, quæst. 5, art. 1, cujus sententia vera est, quamvis oppositum doceat Palud., in 4, d. 1, q. 1, num. 85. Quanquam non comparet ministrum baptismi consecratum cum non consecrato, sed absolute ministrum baptismi et matrimonii, cum ministris aliorum sacramentorum. Atque idem sentit Capreol., ibid., quæst. 1, art. 3, ad 2 Durandi contra 4 concl. Soto probat suam sententiam, quia non est minus vera forma baptismi: *Ego te baptizo*, prolata a laico quam a sacerdote; sed illa non solum significat externam, sed etiam internam abluitionem; ergo eodem modo confert gratiam unus ac alius. Secundo, quia in matrimonio nullus alius est minister, qui ad sacramentum concurrat, præter contrahentes ipsos; ergo, sicut in aliis sacramentis, in quibus requiritur minister consecratus, qui actione sua applicat formam sacramenti vel etiam materiam, dicitur conferre gratiam, quæ per eam

formam datur, ita etiam conjuges, quia exhibent actione sua sacramentale signum, quo constituitur sacramentum et datur gratia, dicuntur efficere gratiam. Ratio vero a priori est, quia ubi minister consecratus sufficit ad sacramentum, ex institutione divina est designatus ad illud ministerium, saltem ut sufficiens causa ejus in suo ordine. Quod autem hæc deputatio facta sit per consecrationem aut sine illa, nihil confert ad efficientiam physicam, cum ostensum sit, characterem, qui per consecrationem datur, non esse virtutem physicam effectivam gratiæ. Quamvis ergo in hoc differant minister consecratus et non consecratus, quod unus confert sacramentum ut minister ex officio, alius vero non, tamen in modo concurrendi ad effectum sacramenti nulla est differentia; nec majus est inconveniens, quod laicus vel etiam infidelis possit dici gratiam conferre, quam quod possit esse verus minister ad conficiendum et dandum sacramentum. Atque eadem ratione censeo, non magis concurrere ad gratiam, quæ per Eucharistiam datur, sacerdotem dispensantem Eucharistiam consecratam, quam diaconum vel etiam laicum, quamvis Soto oppositum dicat. Et ratio est, quia nullus horum ministrorum habet in illo effectu aliam actionem præter localem applicationem sacramenti; unde, quod sacerdos habet virtutem ad conficiendum tale sacramentum, et non alius, poterit quidem conferre ad moralem dignitatem et ad habendum jus dispensandi sacramentum, non vero ad efficientiam, de qua agimus. Quin potius, si res attente consideretur, in dispensatione hujus sacramenti, prius tempore cessat actio ministri, quam gratia detur, nam minister solum applicat sacramentum ori et ibi cessat ejus actio, gratia vero postea datur in ipsa manducatione, quæ potius fit physica actione et efficientia ipsius hominis suscipientis, qui etiam non dicitur proprie conferre gratiam, propter rationem supra datam.

5. *Quomodo sit intelligendus D. Thomas.* — In solutione ad 1, duo dicit D. Thomas. Primum est, quod purgatio, secundum quod tribuitur a ministris Ecclesiæ, non est a peccato; sed intelligendus est loqui ad mentem Dionysii, cap. 5 de Cælest. Hierar., ut citatur in cod. D. Thomæ; reperitur tamen, lib. de Eccl. Hierar., cap. 7. Tribuit enim hanc actionem purgandi spiritualiter fideles, ministris Ecclesiæ, ad quos spectat docere, admonere ac disponere fideles ad sacramentorum suscep-

tionem. Nihilominus tamen si sub ministris Ecclesiæ comprehendamus sacerdotes, in quibus est potestas clavium, eis attribui potest purgatio etiam a peccato; eodem modo, quo eis tribuitur effectus sacramenti, scilicet ministeriali modo; nam inter effectus sacramentorum comprehenditur purgatio a peccato. Secundo ait D. Thomas sacerdotes illuminare populum, non gratiam infundendo, sed sacramenta gratiæ tradendo. Ex quibus verbis colligit Soto supra, sentire D. Thom. sacramentum non attingere effectum illius qualitatis, quæ est gratia, quia cum gratia non fiat, nisi per infusionem, si sacramentum illam efficeret, eam etiam infunderet; ergo et sacerdos per sacramentum infunderet gratiam, quod D. Thomas negat. Sed longe alia est mens D. Thomæ; quod enim sacramenta gratiam efficiant, satis diserte in superioribus docuit; atque eodem sensu concedi potest, quod gratiam infundant. Hinc vero solum voluit D. Thom. docere, sacerdotes non illuminare interius ac mere spiritualiter, circa mentem hominis operando, neque aliqua alia speciali actione, præterquam sacramenta gratiæ tradendo.

6. In solutione ad 2, tangit D. Thomas quæstionem illam, quid sanctitas, meritum aut oratio ministri conferat ad effectum sacramenti, de qua re diximus supra disp. 7, sect. 5. Solutio ad 3 nulla indiget expositione.

ARTICULUS II.

Utrum sacramenta sint solum ex institutione divina (4, d. 3, quæst. 1, art. 2, quæst. 2, cor., et d. 5, quæst. 1, art. 1).

1. *Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod sacramenta non sint solum ex institutione divina. Ea enim, quæ sunt divinitus instituta, traduntur nobis in sacra Scriptura. Sed quædam aguntur in sacramentis, de quibus nulla fit mentio in sacra Scriptura, puta, de chrismate, quo homines confirmantur, et oleo, quo sacerdotes inunguntur; et de multis aliis tam verbis, quam factis, quibus utimur in sacramentis. Non ergo sacramenta sunt solum ex institutione divina.*

2. *Præterea, sacramenta sunt quædam signa. Res autem sensibiles naturaliter quædam significant, nec potest dici, quod Deus quibusdam significationibus delectetur, et non aliis, quia ipse omnia, quæ fecit, approbat. Hoc autem proprium videtur esse dæmonum, ut*